



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**In Canonem Sacrificii Missae, Vti & reliquas eiusdem  
Partes Brevis Ac Lvcvlenta, & ad pietatem vtilis Expositio**

**Veken, Frans van der**

**Coloniae, 1644**

§ 3. De praeambulis Oblationis, osculo Altaris, ac salutatione populi

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9878**

Atque hæc in genere dicta ad particulares Missæ precationes & cæremoniæ magis applicabuntur in sequentibus.

## §. III.

*De p̄eambulis Oblationis, osculo Altaris, ac salutatione populi.*

**S**acerdos hanc Missæ partem exorsitur ab osculo Altaris, magni amoris honorisq; symbolo; tum erga DEVM, cui soli Altare dicatum; tum erga corpus & sanguinem Christi, quorum, sub speciebus panis & vini, futurum est mensa. Nisi malis cum D. Thoma & alijs per Altare tibi repræsentari ipsummet Christum: eiique per totum Missæ officium tot oscula reddere, in grati animi significationem, pro illo amoris osculo, quo per Incarnationem naturam sibi nostram desponsans, illud Canticorum desiderium impleuit, *Osculetur me osculo oris sui a.*

Tum

*a Cant. I.*

Tum ad populum conuersus , salutatione è sacris Literis petitâ , & à Viris sanctis beatisq; Spiritibus frequentatâ , precatur ei quâm optimè , ac dicit: *Dominus vobiscum*: populus verò salutem reddens , ex Apostolicâ traditione respondet , *& cum spiritu tuo*. Quæ reciproca salutatio , cùm alijs etiam Missæ partibus conueniat , tum huic præser- rim est aptissima ; non solum ut diuinæ gratiæ auxilium ad dignè offerendum imploretur : verùm etiam ut hac veluti tesserâ constet mutua inter Sacerdo- tem populumque concordia , pulsis procul ex animo omni odio , rancorre , dissensione , alijsq; sinistris affe- ctibus : Iuxta Domini præceptum a: *Si offers munus tuum ad altare , & ibi recordatus fueris , quia frater tuus ha- bet aliquid aduersum te : relinque ibi munus tuum ante altare : & vade prius reconciliari fratri tuo : & tunc offeres munus tuum.* Charitatis quip-

B 2

pe v-

a Matth. 5.

pe visitatissimum signum mutua salutatio est.

Quam ob causam Sacerdos hic aptissimè elicit affectum charitatis erga proximum, quo planè omnibus tam hostibus, quam amicis, bene velit, & ex animo preceretur: eo, inquam, animo, quem Angelus Gedeoni *a*, Boos mesforibus *b*, Propheta victori Asæ *c*, denique Archangelus Deiparæ *d*, ijsdem verbis aliquando testati. Pari affectu respondeat populus: atque ita ambo mutua inter se charitate deuincti vota etiam precesq; coniungant, fiduciam habentes, quod quidquid petierint, accipient à Deo *e*: quemadmodum Christi fidelibus alterutrum diligentibus, in Epistola S. Ioannis Spiritus Sanctus promisit.

Hanc verò precum animorumq; confessionem profitetur Sacerdos, cum non dicit, *Orem*, neque *Orate*, sed se

cum

*a Iudic. 6. b Ruth 2. c 2. Paralip. 15.*

*d Lyc. 1. e 1. Ioan. 3.*

cum populo coniungendo , *Oremus.*  
Ac tandem ad deuotionem accenden-  
dam ex Scriptura, ac plerumque Psalte-  
rio , tanquam diuite omnium piarum  
affectionum thesauro aliquem versicu-  
lum depromit.

§. IV.

*De quatuor modis offerendi.*

**V**erissimè Tridentinum & , vbi de  
Missæ Sacrificio agit , inde eius  
magnitudinem excellentiamque com-  
mendat , quod unicum cum sit, omni-  
um tamen veterum sacrificiorum per-  
fectionem complectatur. Quotquot i-  
gitur in illis inueniebantur differentiæ  
hostiarum , quotquot rationes DEVM  
colendi ac placandi, huic unico omnes  
insunt, velut illorum omnium consum-  
mationi & compendio. Hic Sacrifici-  
um Propitiatorium pro expiandis pec-  
catis , Eucharisticum pro beneficijs  
acceptis , Pacificum pro accipiendis,

B 3

hic

*a Seff. 22. cap. I.*